

enim est discernere, & aliorum obedire. Quarto modo, vt semetipsum intendat homo, & ab aliis oculos auertat. Nam qui verus est Dei amator, semper debet mentem discutere, vt ad sui notitiam, ex qua compunctio oritur, valeat peruenire. Quatuor etenim sunt qualitates, quibus diligentis Deum anima compungitur, & à proximorum operibus oculos auertit. Quum aut malorum suorum reminiscitur, considerans vbi fuit, aut iudiciorum Dei sententiam metuens, secum quarens considerat vbi erit, aut cum mala vitæ præsentis attendens solerter mærens considerat vbi est. Aut quum bona supernæ patriæ contemplantur, & à proximorum operibus oculos compicit vbi non est. His modis captiuato intellectus, homo Deum ex toto corde sapienter diligit, quia ab exercitatione interiori, qua Deus diligitur ex toto corde, nullis potest seduci fallacis. Tota anima Deum diligit, qui dulciter Christo passo cõpatitur, compungitur, & mouetur. Vnde per quendam Deum dulciter, totaque anima diligentem dicitur. Super omnia reddit te mihi amabilem bone Iesu calix, quæ bibisti opus nostræ redemptionis. Hoc enim omnino amorem nostrum vendicat sibi. Hoc (inquam) amorem nostræ deuotionis blandius allicit, iustus exigit, arctius stringit, & vehementius afficit, ne illis valeat abduci blanditiis. Tota virtute Deum diligit, qui propter amorem ipsius nulla vi laborum, aut tormentorum, vel etiam metu mortis iustitiam deserit. Constans namq; & profectus debet esse amor noster, vt si necesse fuerit, amore illius moriamur, qui amore nostri placide, & benigne mori dignatus est. Dicitur proinde à Christo anima Christiana Deum diligere, quia & ipse nos dilexit sapienter culpam cauens, dulciter carnem induens, fortiter mortem sustinens. Et nos debemus Deum diligere sapienter ne decepti, dulciter ne illecti, fortiter ne oppressi, deficiamus.

De quatuor speciebus amoris.

C A P. X.

Diligentium Deum quatuor sunt species, prima est naturalis, quo amore amant omnes Deum & boni & mali. De hoc amore ait Augustinus. Deus quem amat omne quod amare potest siue sciens, siue nesciens. Secunda est, quo aliquis amat Deum, eo quod cognoscit eum sibi necessarium, de quo David in Psalmo. Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Tertia est, qua aliquis amat Deum propter delicias, quæ in eo sunt. Quum enim Deum diligimus, omnia delectabilia & suauia in eo reperimus. Vnus est, qui queritur, in quo omnia continentur. O amor suauis, o lucrum mirabile, o compendium singulare, quam vehementer accendit mentem delicias bonitatis tuæ sentientem? De hoc amore dicitur Sapientia vii. Amator factus sum formæ illius. Quarta est, qua aliquis amat Deum, eo quod sit dignissimus amore, qui amor purus est. Amat namque caste, qui ipsum quem amat querit, nec aliud querit quam ipsum. Per se iste amor sufficit, per se placet. Ipse est meritum, ipse est & premium sibi. Ad hunc gradum diuina misericordione ducitur anima successiue per incrementa amoris. A Domino utiq; fit hoc. Ipse etenim Deus taliter naturam condidit humanam, vt necessarium habeat iugi-

Psal. 17.

ter protectorem, quem habuit conditorem, & sic ut per se ipsam non valuit esse, ita sine Deo non valeat subsistere. Quod sane ne de se creatura ignoret, & tibi (quod ablit) arroget beneficia creatoris, vult idem conditor hominem tribulationibus exerceri, vt qui defecerit homo, & subuenerit Deus (vt dignum est) ab homine honoretur. Hoc enim prophetica voce ait. Inuoca me in die tribulationis, eruum te, & honorificabis me. Fit itaq; mira conditoris dispensatione, vt homo, qui prater se neminem diligere nouerat, Deum propter se diligere incipiat, quoniam frequenter expertus est omnia posse cum Dei adiutorio, & sine ipso nihil. His enim progressibus ad secundum amoris gradum proficit anima, quum Deum propter se, non propter ipsum diligit. At si frequens ingruerit necessitas, ob qua & frequens fiat conuersio ad Deum, & à Deo sedula frequenq; liberatio cõferatur, nonne & si fuerit ferreum pectus, vel cor lapideum ex colatione gratiæ, ex triumpho victoriæ, ex hostium depulsione, necesse est emolliri ad amorem, domiumq; liberantis, quatinus ascendens ad tertium gradum amoris, homo Deum diligit, non propter se tantum, sed etiã propter ipsum? Ex occasione quippe frequentium necessitatum crebris necesse est interpellationibus Deum ab homine frequentari, inceptando gustari, gustando probari quam suauis est Dominus. Et ita fit, vt iis exercitationibus anima euolet ad quartum amoris gradum, in quo ad purè diligendum Deum plus alluciat gustata suauitas, quam vrgat humana necessitas. Hæc namque est perfectio perfectæ te diligendum Domine, hoc est gaudium, quod non tribus impiis, sed eis, qui te toto affectu diligunt, & colunt, quorum gaudium tuipse es, & hæc est inchoatio beata vita gaudere de te in te.

De signis, quibus cognoscitur, utrum

homo Deum diligat.

C A P. XI.

Rura sunt, per quæ cognoscitur, utrum homo Deum diligat (videlicet) quum aliquis cogitat de Deo libenter, vnde Sapientia vii. Cogitare de Deo sensus est consummatus. Vis amoris hoc solet in animo agere, vt quem semper ille cogitat, nullum alium ignorare credat. Vis quoque amoris intentionem multiplicat cogitationis, quum quis vadit in domum Dei libenter. De hoc præbuit nobis Dominus Iesus exemplum. Nam ingressus in urbem (sicut dicitur Matthæi xxi.) intravit in templum, dans formam religionis, vt quocunq; imus, primo domum orationis, si tibi est, adeamus. Igitur tu o homo imitator Christi factus, quum in aliquam ingressus fueris ciuitatem, primo ante omnem actum ad ecclesiam curras. Est & aliud signum, quo Dei amator dignoscitur (scilicet) quum de Deo libenter loquitur. Nam hic amantium mos est, vt amorem suum silentio tegere nequeant, sed necessariis curis suis efferunt, & produnt, & flammæ suas intra pectus suum cohibere non possunt. Enarrant frequentius, vt ipsa assiduitate narrandi solatium amoris sui capiant, & refrigeria immensi ardoris assument. Est quoque aliud signum, id est quum quis de Deo libenter audit, de hoc Dominus. Qui ex

Deo